

Fratris Hieronymi saouarole Ferrariensis ordinis
predicatorum de veritate fidei in dominice crucis trium-
phum.
Liber primus.

Proemium.



Loziosum crucis triumphum cōtra huius
seculi sapientes garrulosq; sophistas: arduū
pfecto ac supra vires: temporibus tamē no-
stris vtile opus ac necessarium diuina ope
fretus aggredior. Quamuis. n. ex innume-
ris domini nostri iesu xpi operibus ac cele-
bratis toto orbe miraculis: sacrisq; theolo-
gorum monumentis fides omni expte adeo fundata & stabi-
lita sit: vt de illa amplius indagari ne dum ambigē sup flu-
um curiosumq; videatur: pleriq; tamē hac tempestate mor-
tales ita peccatorum sordibus volutantur: vt ad veritatis
lucem caligantes celestia pro ridiculo habeāt: ac diuina mi-
racula quasi deliramenta contēnant. Mos itaq; quos nimirum *obs*
rum zelus domus dei comedit: preterita ac pene aboleta in
memoriam reuocantes quasi somniculosos excitare conabimur.
Licet autem fides ex causis principijsq; naturalibus
demonstrari non possit: ex manifestis tamen effectibus va-
lidissimas rationes adducemus: quas nemo sane mentis in-
ficiari poterit. Non q; fides his tantummodo inuitatur: (cū
teste apostolo:) donuz illa sit dei non ex operibus ne q; glo-
rietur: sed vt earum subsidio nutantes basibus solidatis cō-
sistant: incredulū ad recipiendum supernaturale fidei lumē
disponantur: fideles autem his instructi armis contra impi-
os oppugnatores procedant: passimq; illorum insipientiam
detegentes simplices ab eorū faucibus incautosq; eripiant.
Neq; vero est cur hac de re fidei merito derogari q; putet:
propterea q; tritum illud sit: fidem non habere merituz: cui
hūana ratio prebet experimētū. Ad eos. n. hoc tantū refer-
tur: q; nō nisi rōnibus coacti credere volūt. Qui at p^m dicitur

no munere constantissime fidē amplexi se insuper atq; alios
in ea rōnibus confirmare contendunt: hi sunt p̄cipue cōmen-
dandi. **Principe apostolorū Petro ita nos exhortate. Domi-**
num autem christum sanctificate in cordibus vris pati
semper ad satisfactionem omni poscenti vos rōnem de ea q̄
in vobis est: fide et spe. Quia ergo ratiōibus dūtaxat dispu-
tare contendimus nullius auctoritati initemur. Atq; ita in
toto opere progrediemur ac si nulli hoium q̄libet sapienti:
sed soli rōni exhibis: que videmus et experimur: credendum
sit. Rationi enim naturali omnes assentiri coguntur. Quā
vero cum sapientibus huius seculi nobis modo agendum
est: quos domestici et nudī sermonis lectio plerūq; fastidit:
consuete simplicitatis nostre metaz paululus in hulus opis
stilo pro illorum satisfactione transgrediemur. Amen.

De modo procedendi.

Cap. I.



Doctet autem nos ad cognitionem Inuisibilium p̄ visibilia deuenire: omnis. n. nostra cognitio incipit a sensu: sensus vero ea solum: que extrinsecus sunt: accidentia cognoscit. Intellectus autem subtilitate sua rerum s̄bam penetrat. Quaz̄ p̄sideratione ad cognitionē imāliū z̄ in visibiliuz̄ rez̄ eleuat.

Dū. n. s̄bam z̄ p̄prietates: ordinē: causas z̄ motū rerum visibiliuz̄ speculat̄ p̄ hec in substantiaz̄ separatarū z̄ dei notionez̄ quodāmodo manuducitur z̄ sublimat̄: quēadmoduz̄ etiam per accidentia z̄ motus operatione sua hōis extrinsecas ad latentis aie interiorisq̄ hominis ac inuisibilium s̄ulmet partium intelligentiā puenit. Colligentes igitur philosophi p̄ oculis vniuersuz̄ celos. s. z̄ ornatū eorum atq̄ influxum: necnon elementorū proprietates: actiones: mixtionēsq̄ eorum multimodas: compositarum rerum varietates: motus z̄ proprias passiones: mirabilem deniq̄ ordinem z̄ mundi huius visibilis magnitudinem z̄ pulcritudinem: ad in visibilia suspicienda mentis aciē erexerunt. Quib̄ inuentis eorū naturas z̄ proprietates qualitercūq̄ potuerūt: inuestigare conati sunt. Sicut ergo ipsi philosophi res nāles esse opa dei cognouerunt: p̄ que in eius virtutis z̄ glorie cognitionem pueniri potest. Ita que sunt in ecclesia christi sensibus z̄ ratione p̄ceptibilia: ostendere volumus esse eiusdem opera dei: per que ad notitiam maiestatis z̄ glorie iesu christi: qui nobis Inuisibilis est peruenire possumus. Quēz̄ admodum igitur omnia: que deus fecit in vniuerso: philosophi aggregauerunt: oportet quoq̄ nos colligere quecūq̄ christus in mūdo opatus est. Et sicut ex miris nature operibus philosophi coacti sunt cōfiteri deum esse primam omnium causam: z̄ opus nature esse opus intelligentie non errantis: hoc est dei. Ita ex admirandis christi opti-

Liber

bus ostendere volumus eundem christum crucifixum: esse primam omnium causam: et ipsius operationes esse dei operationes: qui errare non potest. Nec tamen propterea asserere volumus nos ob has rationes credere. Nec enim harum argumentationum virtute christiana mens ad credendum impellitur. Alioquin de homini rebus non fides: sed opinio haberetur: virtute autem hec credimus luminis ex deo nobis supernaturaliter infusi. Deinde his rationibus: fidelium alios alacriores reddimus et confirmamus. Incredulis aduersarijs demonstrantes fidem a nobis non leuiter et inaniter: sed grauiter sapientissimeque teneri. Ut autem melius vniversa diuersorum temporum ecclesie opera tam presentis quam preterite in vnum collecta ante oculos statuamus: ad similitudinem et comparationem vniversi: sub effigie currus triumphalis singula inferius describemus.

De triumpho christi: vnde fides argumenta eliciuntur. Cap. ij.



Deus. n. cum sit infinite potentie: sapientie: et bonitatis: non potest per vnā tantam creaturā nisi imperfecte cognosci. Vbi siquidē in tāte maiestatis notitiā ex ordine vniversi potissimum deuenerūt: quod ordo non ex vna dūtaxat re: sed ex innumeris fere constat: quas non multa cum difficultate p̄ oculis simul statuere poterūt: cum sint omnes naturali quodā vinculo ita p̄nexe: vt alia ex alia pendeat. Virtus quoque et sapientia christi: non ex vno eius ope statim poterit apprehēdi. Verū si omnia illius gesta et effectus qui inde emanarūt: p̄spectui nostro p̄ter offeramus non vnā tantum rationē: sed multas ex ipsis colligētes: cōpelletur nimirum cuiuslibet hominis intellectus fateri. Christum crucifixum esse verū deum. Quia si vnica operatio et argumentatio minus sufficiat: omnes tñ simul collecte eam vim habebūt: vt quispiā nisi p̄terue mētis dissentire non possit. Verū quod preterita et presentia christi opera

non facile

non facile conspectui se se offerunt. sicut naturalia: cum quibus quotidie versamur et quae miro sub celo ordine connectuntur: opportunum duxi ea ad sensibilem imaginem sub specie currus triumphalis redacta cuilibet etiam rudi ingenio quasi palpanda proponere: ut non tantum singula seorsum: sed cuncta piter contempleremur. **P**rimum itaque ante omnia praestituamus curram quatuor vectum rotis: et super eo more triumphantis christum spinis coronatum. Innumeris probris et contumeliis atque atrocissimo et turpissimo supplicij ac mortis gratie superatis plagarum livorem totiusque cruentari corporis cicatrices et vulnera ostendentem: quibus non alijs armis cuncta subegit et captivam in altum duxit captivitatem. Eiusque vertici micantibus radijs lucidissimus iminetur ac globulosa trina facie trinitatem effingens: quae totum ipsum christum eiusque ecclesiam inarrabili circumfuso splendore praesens illustret. Christus vero leuam crucem teneat cum ceteris passionis suae aculeis et instrumentis: vtriusque testamenti volumen dextra complectens. Juxta pedes cum superposita hostia stet calix: et circa ipsum distincta vasa aquae: vini: olei et balsami cum reliquis sacramentorum ecclesiae signis. Ad hoc infra gradum christi secedat piissima eius mater virgo maria. Ad haec infra ipsius virginis gradum circumquaque disposita sint aureae: argenteae et crystallina vasa celaturis et gemis ornata pretiosis non nisi ossibus et cineribus referta mortuorum. Ante curram stant apostoli et predicatorum omnes quasi vehiculum trahentes assistant. Praecedunt patriarchae et prophetis veteris testamenti cum innumera virorum: et mulierum caterva. Curram circumstant amplissima vtriusque sexus et cuiuslibet conditionis agmina martyrum: circa quos sint universi doctores sacri libros apertos utraque manu gestantes. Curram dehinc sequatur infinita multitudo vtriusque sexus et omnis generis et sortis hominum. Iudeorum scilicet: grecorum: latinorum ac barbarorum tam divitum quam pauperum: sapientum: eruditorum: idiotarum et cuiuslibet etatis plaudendum. In

circuitu autem horum omnium tam precedentium quā sequē-
 tium triumphalis pompam currus ponamus innumeras
 hostium turmas ecclesiam totis viribus oppugnātes. Im-
 patores scilicet: reges: principes et potētes huius seculi. Sa-
 piētes quoque et philosophos et hereticos: ac ex omnium gē-
 tium et linguarum populis: seruis et liberis: maribus ac fe-
 minis infinitā sortis cuiuscūque frequentiam. Juxta hos pro-
 phana deorum simulacra et idola contrita: diruta et commi-
 nuta describantur. Necnon libri hereticorum combusti et su-
 tataque ceterarum sectarum dogmata: cultus denique omnis alia-
 rum religionum deiectus et euersus. **C**um ergo currus
 ante oculos nostros descriptus et cōstitutus: erit quasi quod-
 dam vniuersum: vñ nouam p̄biam elicere valeamus. Pro-
 prima siquidem causa et pro inuisibilibus: ad quorum cogni-
 tionem p̄uisibilia nituntur philosophi peruenire: in verti-
 ce christi radiantem globum lucidissimum statuimus vice
 sanctissime et indiuidue trinitatis. Quam summum deum
 esse confitemur. Atque ipsum christum: qui nobis inuisibilis
 est: ceteris vndique supereminentem. Cui innumeros ange-
 lozum et animarum beatarum choros assistere credimus. Ad
 quorum cognitionem et scientiam ex his: que supra et circa
 currum visibilia collocauimus: peruenire conabimur. Si-
 cut autem philosophi post inuisibilia celum dicunt esse prin-
 cipalem omnium: que infra ipsum generantur causam. Ita
 et nos crucem et passionem christi post diuinitatem ponimus
 principalem causam gratiarum ecclesie et nostre salutis. Et
 sicut post celum succedunt elementa. Ita post passionē chri-
 sti sequuntur ecclesiastica sacramēta. Et quēadmodum ele-
 menta virtutem omnem habent a celo: ita sacramenta vir-
 tutem a passione christi cōsequuntur. Post elementa vero
 semina in mundo et agentia particularia ponimus. Pro se-
 minibus ergo in triumpho nostro doctrinam accipimus e-
 uangelicam: sanctorumque opera et exempla: quorum ossa ac
 cineres

cineres nos memores reddunt. Eorum namque monumen-
 tis:meritis et exemplis ecclesia quotidie claris ac fructuosis
 operibus secundatur. Insuper pro particularibus agentibus
 descripsimus apostolos:patriarchas:prophetas:martyres
 ac doctores:qui dum uiuerent:uniuersum terrarum orbem
 suis predicationibus in christo regenerarunt. Sancti enim
 dum christo cooperantur particularia agentia recte vocari
 possunt. Eorum vero scripta:bona opera et exempla:que se-
 pissime in ecclesia recoluntur:nobis semina beneuicendi pro-
 culdubio existunt. Postremo in hoc mundo corporeo sequ-
 untur effectus:p quibus amplissimam hominum multitu-
 dinem cuiuslibet conditionis descripsimus ad christum ex-
 emplis et adhortationibus sanctorum conuersam:que cum-
 pie tum etiam sanctissime vixit. Sed quia in rebus natura-
 libus omnis motus est de contrario in contrarium et gene-
 ratio unius est corruptio alterius:in omni generatione pu-
 gnantia in uicem contraria requiruntur. Ubi semper maior
 preualet virtus. Propterea hostes christi et ecclesie eorumque
 errores undique christo duce fugatos et euulsos in hoc mun-
 do descripsimus. Porro ex quatuor rotis quatuor mundi
 partes intelliguntur per fidem et veritatem christi mirifice
 illustrate. Sicut ergo philosophi pre oculis habentes ordi-
 nem uniuersi et eius effectus considerantes admiratione et
 ardore discendi ipsas naturalium effectuum causas perqui-
 rendo:paulatimque ab inferioribus ad superiora ascendendo:
 ad cognitionem diuine maiestatis et inuisibilium peruene-
 runt. Ita et nos si triumpho et descriptionis huius imaginem
 preteritosque et quotidianos effectus hinc elicitos diligentius
 perscrutari fuerimus:incipiemus admirari et eorum cau-
 sas inquirere:et per hoc ad diuinitatem christi et inuisibilia/
 maiestatis eius cognoscenda gradatim transferemur: **¶** Do-
 ctiones omnibus concedende.

¶ Capitulo. iij.

Liber



Vat in hac nostra disputatiōe congrue pcedamus. Sciendū est: oportere disputantes in aliquo sp vel in qbusdā cōuenire. Alioqn si in oibus dissiderēt: nō haberet disputatio locū. Ea vero: in qbus semp pueniunt disputates: sunt oibus eque notissima. Que vel sensu: vel inductiōe cognoscuntur. Uel eis virtute luminis intellectus agētis: cū proponuntur statim assentimur? Et in multis etiam possint cōuenire disputantes nō eque omnibus sed ipsis tantūmodo notis. Oportet ergo nos notissima quedā quasi fundamenta proponere. Que si negarentur: omnis nra disputatio solueretur. Quia q negantes principia non est disputandum. Siquis enī negaret aliquid moueri: velut zeno: cuz eo phisicus disputare nō posset. Cum phisicus omnia vel qdam moueri presupponat. Conueniamus ergo in hoc primū scilicet iesum christum a iudeis fuisse crucifixum z ab omnibus fere gentibus pro deo habitum z adoratum: hoc enim cunctis tam fidelibus q infidelibus plane cōstat. Qd heretici: iudei: mahumetani z omnes gentilium z barbarorum lingue fatentur: z ab initio perpetua successione christiani eum ad hec vsq tempora ita coluerunt. Libri quoq de ipso christo eiusq ecclesia quocūq idiomate editi tam fidelium q aduersarioꝝ vbiq terrarum vulgati abūde nobis perhibent testimoniū. Nulla deniq mūdi regio: aut āgulus vix relictus est vllus: vbi christianarum ecclesiarum monumenta non extēt. Nec aliquis fere inuenit in orbe locus: in quo vel iesus christus crucifixus tanqz verus deus non adoretur aut retroactis temporibus ibidez non fuerit adoratus. Uel saltem vbi nesciant a christianis eundem vt verum deum hactenus cultum z in presentia coli. Unde infideles eum vocant deum christianorum. Quamobrem delirum z stultum foret id negare: quod omnium ora: scripta: vestigia z antiqua monumenta testantur. De alijs psequenter in triū
pho



C De ordine procedendi.

Cap. v.

Um itaq; inuisibilia Dei p visibilia cognoscant: sciendū ē quedā inuisibilia Dei eē: que p eius visibilia opa nāli virtute luminis intellect^o agentis cognosci possunt. Ad q; etiā philosophi puenērūt: vt Deū esse z ipsum eē vnū z actū purū: z similia. Que daz aut inuisibilia Dei nulla rōne humana inuestigari possunt. Memini enī dubiū esse dz infinita esse intelligibiliū diuinorū secreta: que humane rōnis capacitare penitus excedunt. Cū videamus in specie humana: in qua hoies quo ad nām sunt equales a magnis philosophis subtilia' quedā intelligi: adque nullo modo puerorū vel rudiū hoium intellectus ascendit. Cum ergo Deus hoies excedat infinite: in eo pariter infinita necessario sunt: que nullus creatus intellectus penetrare aut scrutari queat: presertim cum in rebns sensibilibus cognoscendis: quas assidue tractamus d̄fectuz scientie nostre experiamur: pprietates eorū plurimas ignorantes. Quanto ergo magis in Deo id existimandū est: cum rerū sensibiliū effectus: p quos in eius cognitionez deuenimus: non mō primā causam non adequēt: verū etiam ab ea remotissime distēt. Quapropter ex ijs de Deo per q; pauca intelligere valemus. Que igif sola fide tenemus: supra humani ingenij vires esse dicimus. Ut Deū esse trinum: z ipsuz esse hominē z cetera huiusmodi: q; p rationes seu p effectus naturales inuenire non possumus. Ex effectibus tñ supernaturalibus possum⁹ aliquo mō de eis fieri certiores. Itaq; sicut effectus naturales nos in cognitionē Dei perducunt: z has ppositiones esse veras indicāt: videlicet q; Deus est idemq; vnus z infinitus neq; tñ per ipsos cognoscimus deum: sicuti est: nec eius substantiā videmus. Ita etiā p supernaturales effectus possumus fieri certiores de veritate harum pponuz: scilicet q; deus est trinus: z q; dei filius deus est z homo. Attamen per ipsos comprehendere non vale-

Liber

mus Deū trinū ⁊ Deū hoīem prout est. Quia ergo gratis
presupponit naturaz. Primo agemus de ijs dei inuisibili/
bus: que per effectus naturales inuestigari possunt. deinde
de ijs que p supnaturales effectus aliquo modo percipiun/
tur. Verum qz plures ⁊ philosophi ⁊ catholici doctores de
primis inuisibilibus sufficientissime tractarunt: pauca sup
his afferemus cum ab illis adeo sint efficaciter probata: vt
nullus pateat dubitationi locus.

Cum esse.

Cap. vi.



Primum itaqz necessarium ē pbare deū eē. Sed
qz multitudinis vsus in nominādis reb⁹ tenē
dus est ⁊ de subiecto oportet prius scire quid
nois necesse est primū intellegere qd p nomē
dei accipiāt hoīes. Certū ē autē qd oēs di nūcu
pationē intelligut quoddā sūmū: qd qdā primū motorē: alij
p⁹ mā cām ⁊ primū principiū rerū: alij vero summū bonū v⁹
primā veritatē nūcupauere. Siue ergo p Deū intelliga m⁹
primū: motorē: siue primam causam vel primum principi
um: vel summum bonum vel primam veritatem vel ali
quid huiusmodi: manifestum est per philosophoz demon
strationes nos oportere confiteri deū esse: quas pro ordine
libri breuissime perstringemus. **C** Sensu enim percipimus
aliqua in hoc mundo moueri: oē autem: quod mouet: ne
cesse est ab alio moueri. Cum nihil possit esse simul in actu
⁊ impotentia secūdū idem: sed in mouentibus ⁊ motis nō
est procedere in infinitū. Quia nō esset aliquod primū mo
uēs ⁊ per cōsequens nec aliqd aliud: quia mouētia scda non
mouēt nisi p hoc qd sunt a primo mota. Necesse est igit de
uenire ad vnū primūz motorē: quem deum vocāt. **C** Si
mille argumētum adducunt. rōne cause efficientis. Inuent
mus enim in his sensibilibus esse causarū efficientiū ordi
nē: nec tū in eis inuenitur nec est possibile: aliquid esse cau
sam efficientem sui ipsius: qd sic esset prius seipso: quod est
impossibile

impossibile. Cum ergo nec in huiusmodi causis sit proce-
 dere in infinitum ex eo quod secunde cause non agunt nisi in
 virtute prime: necesse est dare aliquam pri- ma causam effici-
 entem: qua omnes communi consensu Deum noiant. ¶ Pre-
 rea cum in rebus aliquid inueniatur magis aut minus bo-
 num: verum et ens: non potest hoc esse in diuersis: nisi pro-
 ut magis vel minus appropinquat alicui summo bono: vel
 summo vero: vel summo enti. Oportet ergo esse aliquid
 in rebus optimum: verissimum et nobilissimum ens. quod
 deum simili modo appellant. ¶ Videmus insuper ea:
 que cognitione carent: operari propter finem. Quia semper
 aut frequentius eodem modo opantur: ac fines suos pro debi-
 ta media consequuntur: Un- de patet quod non a casu: sed ab intentio-
 ne alicuius intellectus ea dirigentis sic procedunt: quem intel-
 lectum Deum vocant. ¶ Quibus etiam hoc signum addere pos-
 sumus: quod nulla inclinatio naturalis frustra esse potest ut liquet
 per omnia naturalia tam animata quam inanimata discurrenti. Natura-
 liter autem omnes homines inclinantur ad credendum aliquid esse huius
 vniuersi gubernatoris: quem deum vocant. Cuius signum est
 quod nemo vnquam nisi metecaptus consistere in hoc potuit: ut
 firmiter sentiret deum non esse. Nulla denique gens tam ferata
 barbara est: que non deum aliquo modo fateatur: quod per
 oium etatum curricula in hec usque tempora vbiq; terrarum
 obseruatum est. Quod autem omnibus et omni tempore conuenit natura-
 le esse videtur. ¶ Ceterum quia in repentinis cuiusque habitus
 et inclinatio naturalis maxime dignoscitur: ex his naturaliter nobis
 insertam dei cognitionem comprehendere possimus: Vi-
 demus enim in repetiuis periculis omnes homines. vbi se hu-
 mano auxilio destitutos conspiciunt: naturali quodam instin-
 ctu non ratione eos mouente: ad superiora conuertitur. Quia natura-
 liter ad suam causam conuertitur effectus. Quamobrem manife-
 ste patet naturaliter nobis insertum esse: quod sit aliquid primum re-
 rum principium et gubernator vniuersi: quem deum appellant.

Libet

**Deum non esse corpus : nec corporis formam nec aliqd
compositum.** Capitulum. vii.



Deum vero non esse corpus neq; corporis for-
mā nec aliqd cōpositū: sed actū purum nemo
philosophoz ambigit. Corpus. n. (vt ipsi phi-
losophi pbant) nō mouet nisi ab alio motū. Si
ergo deus esset corpus: nō esset primū mouens
immobile. **¶** Preterea nō esset etiaz in entibus
nobilissimū: manifestū est enim spiritum esse corpore nobi-
liorem. **¶** Item cuz actus simpliciter ex natura sit prior po-
tentia: qz nihil potest reduci in actum nisi per ens actu. Si
deus esset corpus: esset ens in potentia: z sic non esset primū
ens. **¶** Non est etiā alicuius corporis forma. Id enīz quod
per se habet esse: nobilius est eo: quod esse hz in alio. Dis
autem forma corporis existit in alio. Eū igitur deus sit ens
nobilissimum ceu prima essendi causa: non potest esse ali-
cuius corporis forma. **¶** Preterea ipsa corporis forma non
est ipsa res: que ex ea z mā cōponitur: sed est essendi princi-
piū. Totū ergo compositum aliqd: quod nec est: forma tan-
tū nec mā sola: z est perfectius qz mā z forma: cū totum sit
perfectius suis partibus. Si ergo deus esset corporis forma:
non esset ens perfectissimum. Qz aliqd esset eo perfectius.
¶ Preterea qd venit in alicuius compositionē: non est pri-
mo z per se agens. Nō enīz manus agit: sed homo per ma-
nū. Si ergo Deus esset corporis forma: non esset prima z p-
se agens: z p consequēs non esset prima causa. **¶** Sicut au-
tem deus non venit in alicuius rei cōpositionē: ita nec ipse
cōpositus est: sed actus purus. Non enī esse dei z sua essen-
tia differunt: alioquin esset ens p participationem z nō per
essentiam: z sic aliqd eo prius esset: qz oē quod est p par-
ticipationem: dependet ab eo quod est per essentiaz. Cum
igitur deus sit primū ens: a quo depēdet omne ens: oportet
qz quicquid est in Deo sit essentialiter in eo idest qz nō dif-
ferat a sua essentia: z sic sequitur Deum esse actum purum.

¶ Item

Item cum omne compositum sit posterius suis componen-
tibus et ab eis pendeat et ex necessitate causam habeat. Quia
ea que sunt secundum se diversa: non conveniunt in unum
nisi per aliquam causam ipsa unientem: sequeretur Deum
non esse primum ens: a quo oia alia entia derivantur nec
primam causam efficientem: quod iam improbatum est.

Deum esse perfectum et summum bonum: infinite po-
tentie ubique immutabilem et eternum. // Cap. viij.



Sergo confiteamur sicut oportet Deum esse actum
purum: ipsum quoque esse perfectum et summum bonum:
et infinite potentie et ubique immutabilem et eternum
confiteri validissimis rationibus compellemur. Deum
namque esse perfectum et summum bonum si ipse est actus pu-
rus manifestissima ratione probatur. Esse enim per se subsistens pertinet
totam perfectionem essendi. Quemadmodum si quis per se cal-
lor esset: totam contineret essentialiter caloris perfectionem.
Cum ergo Deus sit actus purus et esse per se subsistens: nihil
de perfectione essendi ei deesse potest. Quia autem perfectio-
nes pertinent ad essendi perfectionem. Quia res dicuntur per-
fecte per hoc: quod aliquo modo habent esse: unde sequitur ni-
hil bonitatis et perfectionis Deo deesse. Sicut autem ex
hoc quod Deus est actus purus: sequitur ipsum esse summum
bonum. Ita ex eodem sequitur ipsum esse infinitum et infinite po-
tentie. Infinitum enim dicitur aliquid ex eo quod non est finitum. Una
queque autem forma in se considerata ad multa convertitur: et per hoc
dicitur infinita. Cum vero recipitur in materia fit forma huius rei
determinata: et sic dicitur finire. Cum igitur Deus sit actus pu-
rus: et esse suum non sit in aliquo receptum: sed sit per se subsi-
stens. Manifestum est quod Deus non est finitus. Sed maxi-
me formalis et infinitus. Ad autem: quod est maxime omnium
formale: est ipsum esse. Et cum unum quodque ea ratione: qua
est in actu et perfectum: sit principium alicuius actuum (patet
autem unumquodque prout est deficiens et imperfectum) eius

Liber

Deus sit perfectissimus et actus purus: manifestum est quod et maxime competit principium actuum: et habere potentiam infinitam. Ipse enim se toto agit: et nihil habet potentie passive. **¶** Ex hoc etiam sequitur deum ubique esse indivisibiliter. Oportet enim omne agens ei coniungi: in quod immediate agit: quia movens et motum simul esse oportet. Quia ergo deus sit prima et universalis omnium causa et sit actus purus et suum ipsius esse: oportet quod omne aliud esse productum sit proprius eius effectus. Sicut igni est proprius ignis effectus. Et cum deus sit omnium causa non solum in fieri sed etiam in esse ipsum deum adesse rebus oportet non solum prima in probatione: sed quod diu in esse conservantur. Et cum esse sit unicuique rei maxime intimum (est enim formale respectu omnium que sunt in re): affirmare oportet deum omnibus in rebus valde intimum esse. **¶** Cum insuper deus sit omnium indivisibilis: utpote quod est actus purus: necesse est fateri ipsum esse in quolibet re et in quolibet cuiuslibet rei parte totum et indivisum. Ex his quoque que dicta sunt: concluditur ipsum esse omnino immutabile et ternum: quia actus purus nullatenus potest recipere mutationem: oportet enim id quod mutat esse: aliquo modo in potentia: quia motus est actus entis in potentia in quantum huiusmodi: ut philosophi probant. **¶** Hinc itaque arguitur ipsum esse eternum: quod nisi esset eternus: esset mutabilis: et per consequens in eo esset potentia passiva: et sic non esset actus purus: quod superius redargutum est. **¶** Preterea si deus non esset eternus: vel principium vel finem vel utrumque simul haberet. Sed hoc est impossibile: quia si haberet principium: iam non esset ipse deus: sed eius principium: quia non esset actus purus: sed haberet esse ab alio receptum. Si sine clauderetur: consequenter esset mortalis vel in nihilum resolubilis. Atque ita non haberet potentiam infinitam: sed aliqua haberet illi potentia. Que in nihilum verti illum posset.

¶ Dum esse unum

Cap. ix.
deum

Dum quoque esse unum ex eisdem principijs patet. Illud enim unum singulare est hoc aliquid nullomodo est multis comunicabile. Cum ergo Deus sit ipsa sua esse suaque natura et actus purus: aliud de quo a natura sua habere non potest ut sit Deus: et ut sit hic Deus. Ergo illud unum deus est hoc aliquid: est ipsa sua natura. Quare eius natura non est pluribus comunicabilis. Impossibile est igitur plures esse deos. **C**eterum cum deus tota in se contineat essendi perfectionem (ut dictum est) Si essent plures Dei: oporteret eos inter se differre. Aliquid igitur conveniret uni: quod non alteri: et si hoc esset privatio: non esset simpliciter perfectus. Si vero perfectio. Alteri eorum deesset. Impossibile est ergo plura esse que comprehendant tota in essendi perfectionem. Plures ergo dei esse non possunt. **Q**uoniam et entia cuncta videmus esse invicem bene ordinata: dum alia alijs deseruiunt. Que autem divisa sunt: in unum ordinem non convenirent. Nisi ab uno aliquo ordinarerentur. Melius enim in unum ordinem multa per unum quam per plures rediguntur. Oportet igitur primum: oia in unum ordinem redigens: unum tantum esse: quod est deus. **C**uius etiam argumentum est: quod in naturalibus ubi manifeste apparet aliquod regimen: ut in arboribus: per unum multitudinem ordinari videmus. Et cum ars mittetur naturam: conspicuus est omne hominum regimen cuiuscumque conditionis aliquo modo reduci ad unum. Nullumque regimen posse durare: nisi ad unius regeris arbitrium quo vis modo reducatur.

Concedo esse intellectus perfectamque rerum cognitionem eumque non necessitate nature agere: sed voluntate. **Cap. x.**
Predictis etiam perspicuus est in deo esse intellectum et cognitionem rerum perfectam. et nihil ipsum ex necessitate agere. Sed per intellectum et voluntatem. In rebus enim naturalibus videmus quod rerum natura cognitionem maiorem habet amplitudinem et extentionem natura non

Liber

cognoscentiū. Non cognoscentia enim non habent nisi formā suā. Sed cognoscentia apta sunt habere etiā formam rei aliene. Illa species cogniti est in cognoscente. Cum ergo cogitatio forme: sit per materiā patet q̄ immaterialitas alicuius rei est rō q̄ sit cognitiua: z ideo sc̄dm imaterialitatis modū est modus cognitiōis. Unde plante p̄pter suam materialitē nihil cognoscunt: sensus v̄o cognitiuus est: q̄ receptiuus est specierum sine mā. Multoq̄ magis intellectus: quia magis recedit a materia. Cū ergo Deus sit in summo imaterialitatis gradu: quia est actus purus: sequitur q̄ ipse sit in summo cognitionis. Un̄ op̄z dicere q̄ Deus oia p̄fecte cognoscit. ¶ Quia vero (vt sepe dictū est) Deus est actus purus z summe simplex: nō potest dici q̄ cognoscat recipientes species rerū: quēadmodum sensus z intellectus noster. Sed q̄ ipse sit suus intellectus z sua sapientia: z qcquid cognoscit per se ipsum cognoscit. Cū ergo sc̄dm imaterialitatis: modum sit cognitionis modus: z ipse sit in summo imaterialitatis: sequitur q̄ ipse seipsum p̄fecte cognoscat: z totamq̄ suam virtutem cōprehendat. Imo q̄ sit ipsa cognitio z sapiētia. ¶ Cū aut̄ alicuius rei virtus p̄fecte cognosci non possit: nisi oia cognoscantur: ad que se virtus extendit: virtus vero diuina se extēdat ad omnia: q̄ est prima cā omnium effectiua: z infinite potentie: patet q̄ Deus cognoscēdo seipsum oia alia cognoscit. In seipso enīz oia alia a se videt: inq̄rtum eius essentia oīum aliorum ab ipso similitudinem continet. Quod ex hoc p̄z: quia propria vniuscuiusq̄ nature consistit prout aliquo modo diuine perfectionis est participes. Cū ergo Deus seipsum p̄fecte cognoscat: op̄z eum quoq̄ modos oīs cognoscere: q̄bus ab alijs sua perfectio ē participabilis. Atq̄ ita singulos cognoscit rerū omnium essendi modos. ¶ Ideo stulta est positio quorūdam dicentiū a Deo superiora solum non inferiora nisi vniuersaliter confuseq̄ cognosci. Ridiculum q̄ppe est asserere q̄ homo aliqua

aliq̄ cognoscat: que non cognoscit Deus. Neq̄ minus stultum est dicere hominem aliqua perfectius q̄ Deum cognoscere. Si ergo hec inferiora distincte et particulariter homo novit: quomodo poterit quod affirmare a Deo hec universaliter tamen et confuse intelligi? **C**erte videmus in rebus naturalibus quod quanto aliqua virtus est eminentior et perfectior: tanto etiam ad plura se extendit et penetrabilior est. Cum itaque divinus intellectus sit summe perfectus et eminentissimus: negari non potest: quin omnia penetrans profundissime cognoscat. **C**umque sit immutabilis et eternus: cogimur confiteri non solum eis fuisse omnia prima postquam facta sunt: sed et antequam fierent. Non enim ipse accipit scientiam a rebus: sed ipsius scientia est causa rerum. **C**oncedimus quod Deus non necessitate nature: sed per intellectum et voluntatem omnia agit. Cum enim intellectus et natura agant per finem: natura vero finem et media non cognoscat: necesse est ut agentis per naturam prestituatur finis: ad quem a superiori aliquo intellectu media necessaria ordinentur. Quare operans agens per intellectum et voluntatem prius esse agente per naturam. Et cum primum in ordine agentium sit Deus. Necessario sequitur quod ipse per intellectum et voluntatem agat. **C**etera omne agens per naturam: uno et eodem modo se operatur: nisi impediatur: quia agit secundum quod est tale: et quod diu tale est: non nisi tale facit. Si ergo Deus ageret per naturam: cum in se omnem contineat essendi perfectionem: oporteret ab eo produci aliquid indeterminatum et infinitum in esse: quod fieri non potest. **C**etera secundum hoc effectus a causa agente procedunt secundum quod in ea preexistunt. (Quia omne agens agit sibi simile) Cum ergo deus sit totus intellectus: eius effectus in ipso preexistunt secundum modum intelligibilem. Et sic per modum intelligibilem ab eo procedunt: quod est procedere ab intellectu determinato per voluntatem.

C Deum habere rerum omnium providentiam. Cap. xi.

igitur hec ita se habent: nemo poterit iam dubitare deum non solum habere rerum omnium naturalium providentiam

Liber

nam: sed etiam rerum quarumcūq; humanarū v̄l minimarū.
Providentia enim est rō ordinis rez ad finem. Deus aut̄ est prima oīum cā in effectum plus influens q̄ secun-
da. Quia ergo deus in oībus rebus opatur non necessitate nāe: sed intellectu z voluntate: cū sit sūma sapiā: cui com-
petit cūcta bñ ordinare recteq; disponere: p̄ter deū: nihil agere: quin sit optime ordinatum. Opz ergo in deo esse rō-
nem ordinis oīum rez ad finem: oīumq; gerere p̄videnti-
am. ¶ Videntes itaq; Philosophi in cunctis naturalibus rebus mirū ordinem: intellexerunt stultum esse dicere. Deū eaz p̄videntiam non habere. Uez difficultas fuit rōnalis creature in rebus humanis. In quibus oīa vidētur esse cō-
fusa. Sed si recte consideret: p̄fecto comperiemus nō esse minus stultum dicere. Deū non habere p̄videntiā hoīuz: q̄ nāliuz: rez quaz ipse homo est finis. Quanto enim aliq̄ sunt in vniuerso nobilioza: tanto plus p̄cipāt ordinis. In quo bonus vniuersi consistit. Si igitur res nāles z quo ad s̄bam z quo ad operationem cadunt sub ordinē diuine p̄vidētie. Multo magis hō cum opatiōibus suis. ¶ Insup que sunt propinquiora fini: magis sub ordine continentur: q̄ est ad finem: q̄ remotiora: q̄ illis medijs alia ordinantur ad finem. Hoīes aut̄ eorūq; opationes p̄pinquius ordinantur ad deum sicut ad finem q̄ actiones aliarū rez nālium. Nō magis subeunt ordinem diuine p̄vidētie: q̄ res nāles. ¶ Preterea gubernatio diuine p̄vidētie ex amore diuino provenit: quo deus tanq̄ prima cā res a se factas z a se dependentes amat. Quanto ergo deus aliqua maiori amore p̄sequitur: magis sub eius p̄videntiam cadunt. Certum est aut̄ q̄ magis hoīes amat q̄ res nāles: vt scitur ab effectu. Quia portiora eis bona contulit. ¶ Item ex cognitiōe effectū tendimus in cognitionem cārū. Cum ergo oīa p̄deant a deo tanq̄ a p̄cā secūde quoq; cāe sunt effectus prime. Videmus autē nālistimū esse oībus secundis cau-

his suoz effectum habere puidenciam: qz tota vtute conan-
 tur eos p debita media ad finem pducere. Quod qdem no
 nisi ex magna eozu prouenit bonitate. Signum ergo est q
 prima ca multo amplius qz scda suoz habeat effectum pui-
 dentiam: a qua cum homo sit eius effectus: oes eius opera-
 tiones dependent. Ergo deus tam hominu qz humanaz re-
 rum hz puidenciam. ¶ Preterea si deus reruz humana-
 rum puidenciam non haberet. Cum oia agat p intellectum
 z voluntatem: aut hoc eius ipotentie in puidendo tribue-
 retur: quod est falsum: cum ipius potentia sit infinita: z oia
 operet in oibus: aut eius circa res humanas ignorantie: qd
 supius est improbatum: aut ipsius voluntati: qd est s eius
 bonitatem. Nemo. n. bonus despicit opus suu nec aliq ca
 suum effectum. Neqz vero recta aut sapiens est illa actio: q
 ignobiliora pcurat: z nobiliora psums omittit. ¶ Item cu
 deus sit ca equiuoca: excellentissimo modo cuncta bonitate
 exuperat. Et vero in humanis aduertimus q excellentis
 bonitatis z sapientie viri: presertim si facultas detur: rebus
 humanis prouidentia adhibet. Multo itaqz magis deus:
 ¶ De fine hois: ad que diuina dirigit puidencia. Cap. xij



¶ Ita vero ad puidencia ptinet res ad fines suos.
 p debita media mouere z ordinare: cu no oium
 sit vnus pxim^o finis. Necesse e diuersimode ad
 suos fines p ea diuersa moueri. Que igit rone ca-
 ret ad suos fines deus nali mouet inclinatioe: q
 puenit ex forma: ita vt potius agatur qz agant. Homo vo q
 est liberi arbitrij: aliqd de diuina puidencia pticipat: z ideo
 ad fine suum a deo mouetur: vt etiam seipsuz moueat ad
 illum: z in hoc deo cooperetur: operationes suas dirigens
 ad aliquem optatum z prestitutum sibi finem. Ad ipsum er-
 go hoiem attinet oi studio ac diligentia inquirere vltimuz
 finem: ad quem diuina prouidentia ronalem aiam ordina-
 uit z mouet. Nec non debita media: quibus certissime ad

Liber

ipsum deo disponente peruenitur: vt se z sua oia recte in-
stitueret z ordinare possit. ¶ Philosophi itaq; magna dili-
gentia hec inuestigare conati sunt. Et sicut nã ex imperfe-
cto gradatim tendit ad perfectuz: ita z ipsi in elucidanda
veritate successiua inuestigatione magis p̄fecerũt. Antigo-
res. n. de hac mã imperfecte disseruerunt. Posteriorẽs ve-
ro noua p̄oribus cõferentes veritatiq; p̄prius accedentes
aliquã melius enuntiarunt. Quã p̄ excellētissimi philoso-
phoz rōnibus efficacissimis diffinierũt humane vite finez
esse diuinorũ cõtemplationem. Hec. n. sola z p̄pria est hois
opatio: ad nihil aliud ordinata tanq̄ ad finẽ: s; p̄ seipsam
desiderata: hominemq; deo z substantijs separatis p̄iugẽs.
Ad quam hõ ipse est magis sufficiens sibi q̄ ad oẽs alias
opationes: q; ad eam rerum exteriorũ adminiculo minus
eget. ¶ Hec insuper est rerum finis omniũ ad hoiem p̄ti-
nentium. Ad cõtemplationis enim p̄fectionem exigitur cor-
poris icolumitas: ad quaz ois ars humane vite necessaria
ordinatur. Et cum ad eam pariter quies a p̄turbationibus
passionumq; sedatio p̄ prudẽtiam z virtutes morales: z ab
exterioribus tranquillitas requiratur: ad quam totius vite
cũtilis regimen coordinatur: manifestum est: si hec recte cõ-
siderentur: oia tã nãe q̄ artis officia ad veritatis p̄templa-
tionem tanq̄ ad finẽ ordinari. ¶ Cum igit hec ita. sint di-
cimus diuinam prouidentiam mouere hoies ad virtutes
morales: vt p̄ eas ad sui cõtemplationẽ pueniant z bñ bea-
teq; viuant. Verum q; vnum quodq; mouet deus secũduz
indictẽ forme exigentiam. cum hoiem libere voluntatis fe-
cerit: ipsum quoq; non nisi in violata libertate mouet. Si
ergo proprio arbitrio mouentis dei inspirationi non repu-
gnauerit: certissime ad finẽ suum p̄ debita media p̄duces.

¶ Finẽ hois vltimũ in p̄nti vita non esse. Cap. xiiij.

Ad fortasse subtiliter p̄siderãtib; difficile imo im-
possibile videbitur hoies in p̄nti vita h̄mõĩ beati-
tudinem

rudinem consequi. Non. n. tenuissima queq; diuinorum con-
templatio hominem beatum reddit: quia beatitudo est vltima ho-
minis perfectio. Un̄ perfectissimam eius operationem esse oportet:
que in contemplatione dei perfecta per humane conditionis ca-
pax consistit. Ad quam pauci vel forte nulli hominum poterunt
peruenire: cum talis contemplatio summum postulet humane
cognitionis gradum: quo paucissimi perueniunt: vel ex mala
corporis dispositione: quia cum anima nostra medijs phantasma-
tibus et corporeis instrumentis cognitionem acquirat: ple-
riq; a deo obtusi et complexione naturali male affecti sunt: ut vix
parua capere possint. Vel pro rei familiaris necessitate plu-
rimos a sublimi contemplatione celestium vel retrahente vel im-
pediente: ne veris studijs inherant: quod totum hominem sibi
deposcunt. Quis ergo oporteat ad hanc contemplationem habere
esse natura bene dispositum: et a mundanis curis et implicatio-
nibus penitus absolutum: inter mortales huiusmodi pau-
cos vel raro comperies. ¶ Qui etiam si reperiantur: ad pur-
am hanc diuinorum contemplationem non nisi longissimo tempore
propter eius profunditatem poterunt peruenire. Cum enim spiri-
tualia per sensibilia cognoscamus: multa preterintelligere oportet
antequam ad summum intelligibile perueniamus. Un̄ philoso-
phi Metaphysicam: que circa diuina versatur: tradunt vlti-
mo loco discendam: presertim quia ad eius contemplationem (ut
dictum est) puritas cordis et omnium passionum anime sensibilis
necessaria sedatio est. Anima enim sedendo a passionibus et a
motibus corporis quiescendo fit prudens. Quo magna assuetu-
dine et vigili cura pro paucis vix in senectute peruenire conti-
git. Cum itaque multi adhuc iuvenes ex hac vita decedant
pauci quoque admodum vel vere nulli virtutibus et diuinorum
contemplationi incumbant. Superest ut etiam pauci
et fere nulli hanc felicitatem assequantur. ¶ Subtilius quoque
investigando pauciores inuenias: qui ad rerum diuinarum
cognitionem contemplationemque perueniant. Multipliciter. n.

Liber

ob infirmitatem intellectus nostri et in rebus naturalibus falluntur homines. Tunc quoque sensus: a quo nostra omnis incipit cognitio: nos plerumque decepit: unde multi solem parue quantitatis esse arbitrantur. Imaginatio quoque obnubilat intellectum: ita ut multis difficile fuerit credere esse aliquas substantias incorporeas. Discursus etiam ipsius intellectus minime rectus nos frequentissime fallit: ex quo pro sepe aliquem probabilem et interdum sophisticam rationem pro demonstratione recipimus: quod excellentissimorum virorum inter se dissidentium opiniones varie attestantur. ¶ Item passiones animae et prave consuetudines: variaeque hominum affectiones eos etiam a cognitione veritatis earum rerum impediunt: cum quibus assidue versantur. Quanto igitur magis ex hominum impedimentis diuinorum contemplatio impedietur? Inueniemus itaque paucissimos hominum fieri posse beatos: quod valde absurdum est: cum beatitudo sit ultimus humane vite finis: quod ad omnes pertinet. Quod si nulla alia beatitudo: nisi que in humanis haberi potest: mortalibus concederetur: profecto pueri et iuvenes et ferme totum genus humanum quasi necessario illa priuarentur. ¶ Sed diligentius adhuc animaduertentes arguemus in hac vita veram hominis beatitudinem inueniri non posse. Nam cum beatitudo sit summum hominis bonum: non admittit secum aliquid mali. Cumque sit per se sufficiens bonum: illa acquisita nihil amplius homini deesse. Sed quomodo in hac vita inueniri potest? quod ita sibi sufficiat ut re nulla indigeat: et ab omni infortunio moloque sit illesus ac tutus? Cum humana natura sit multipliciter serua multisque casibus ac detrimentis abnoxia. Unde sepius apparentem plurimorum fecilitatem calamitas intercipit: ut de Mariamo legitur: et quotidiana experimenta nobis ostendunt. ¶ Meterea vel si quis hanc beatitudinem assequatur: non viri qua ratione possit vere dici beatus. Nam beatitudo cum sit ultimus finis: est quies cordis humani. Quis autem homines naturaliter scire desiderat: et ideo hoc de

fiderium

desiderium cum sit nā infinitum: gescere non potest donec ad op-
 ratam pueniat cognitionem. Multima vero suntz pene in-
 finita/etiam in rebus nālibus desiderata: quoz cognitionē
 nunq̄ humanus assequitur intellectus. Quod ex hoc ma-
 xime argumento colligi pōt: qz scz cum in numeri excellen-
 ti ingenio philosophi ab exordio mūdi ad hec vsqz r̄part-
 mari oia nāe secreta conati sint multo tñ plura supersunt
 ignorata q̄ scita sint ab eis vel cognita. Idem quoqz ipsi fa-
 tentur maximam horum ptem: que scimus: minimam eo-
 rum esse: que ignoramus. Tñ adhuc se vltimas rerum dif-
 ferentiaē nescire testantur: quaruz loco in definitionibus:
 noia accidentium ponunt. Si itaqz adeo intellectus noster
 caligat ad nālia: quāto minus ad supnaturalia penetranda
 poterit eleuari? Que igitur ipsius dei cognitio nāliter no-
 bis in hac vita pceditur: per exigua est z valde incerta. Iō
 nāle hois desiderium in tam hebeti z modica rez nālium
 diuinarumqz cognitione gescere nō poterit: quin imo q̄to
 magis in hac cognitione pficiet vehementiori affectu ad
 eam feretur: qz ois motus nālis in fine vehementior q̄ in
 principio existit. Et sic sp̄ tanto vehementius cor humanū
 in deum mouebitur: q̄to in eius cognitione magis profe-
 cerit. Nunq̄ ergo gescere poterit cuz ad eius pfectam con-
 templationem in hac vita nequeat puenire. Quia: vt in q̄
 philosophus: sicut se h̄z oculus noctue ad lucem solis: ita
 se h̄z intellectus noster ad manifestissima nāe. ¶ Ceterum
 figs in hac cognitione diuinorūqz p̄templatione post mul-
 tos diuturnosqz labores hāc animi getem adipiscatur: ad-
 huc non constat quō h̄c possit vere dici beatus: cum ad
 eam instante iam morte puenit: quam oino vitare nō po-
 test. Videmus enim cunctis hoibus a nā vel maximum in-
 esse desiderium pennitatis: cum vel p sobolis ppagationem
 vel p alia opa imortales effici vehementer desiderēt. Non
 pōt aut vir sapiens morte nō trīstari. Si nulla extet alia vi

Liber

ta preter hanc: quā viuimus. Non enim potest vir sapiens malum non odisse: quod vero malum potest ei maius aduenire q̄ pretiosissime ac beate vite tantope concupite priuatio p̄ mortem? Cuius meditatio frequens sapientem decet. Nec potest de morte ipsa non quōq̄ cogitare: cū non brutorum vita: sed rōnali utatur. Profecto eum q̄ p̄ h̄mōi vita acquirenda tanto studio cura z labore tempus oē p̄trierit: illamq̄ postmodū celerrime oīno incertoq̄ termino ac uaro euentu si sit amissurus: beatum dixerit nemo. **¶** Ex p̄dictis itaq̄ colligitur: nisi aliam vitam posuerimus nihil hoīe infelicius esse ac miserabilius. Cetera. n. non difficulter fines suos duce nā consequi videmus. Homo vero infinitis animi corporisq̄ circumuallatus p̄turbationibus ac molestijs beatitudinē tanto desiderio p̄p̄tataz inuenire non possit: aut siqs iuenerit tādē post diuturni t̄pis vigilias z sudores maxios nequeat retinē? Hoc autē q̄ sit absurdū in nobilissima oīam creatura v̄ rudissim⁹ q̄sq̄ poterit iudicare. **¶** Animam hominis esse mortalem. **Cap. xiiij.**



Sqs ergo p̄dicta recte p̄sideret: nō poterit dubitare aliaz esse vitam: z animaz esse mortale. Si enim deus rerū humanaz p̄uidentiā h̄z: ad quē p̄tinet res ad suos fines p̄ debita media p̄ducerē cū finis hoīs non sit in vita p̄nti: opz alia p̄cedere vitā: in qua homo beatitudinē assequat. **¶** Preterea hoīs opatio: que est itelligere: cum ad imaterialia z vniuersalia se extendat indicat aliqd in hoīe imateriale z in corruptibile esse. De quo diuersi diuersa sensere. Sed reuera nisi hoc incorruptibile eē ponamus aiām intellectuā: eamq̄ eē hoīs formam: infinitos inde pueniētes errores evitare nō possumus. Homo enim speciem sortitur p̄ hoc q̄ est rōnalis z h̄ns intellectum. Si ergo s̄ba intellectualis non sit hoīnis forma: non apparet qualiter hō spēm suam sortiatur p̄ hoc quod est intellectualis v̄ rōnalis. Unūquodq̄ enim
a forma

a forma speciem suscipit. Et ideo in hoie ponere oporteret
 aliam formā: a qua esse acciperet. Si ergo hec nō esset for-
 ma intellectualis: homo a brutis specie non differet p hoc
 q homo rōnalis est: bruta vero irrationalia. Quod oēs ne-
 gant. ¶ Preterea opationes vite cōparant ad aiaz. Sicut
 actus scđi ad primū. Actus aut primus in eodez pcedit tpe
 actum s̄m. Sicut scia est ante actum considerandi. In quo
 cumqz igit aliqua vite opatio inuenitur: in eo aiam ponere
 opz: que ad illam opationem cōparat sicut. actus p̄mus ad
 scđm. Aia enim est principū vite eiusqz operationuz. Sed
 homo ppriam h̄z atqz excellentem supra q̄z cetera animā
 ria opationem. Que est intelligere z ratiocinari. Hec itaqz
 sua ipsius est hois: qua homo est opatio. Opz igitur in ho-
 mine ponere h̄ uius opationis p̄cipium informās hoiem:
 qđ scz se habeat ad intelligere z ratiocinari: sicut actus pri-
 mus ad s̄z. ¶ Dē insup seipsuz mouens cōponitur ex mo-
 uente z moto: mouet aut seipsum homo: sicut cetera aialia.
 Cum ergo primum principium motus in hoie sit intellectus
 z voluntas: hoiem componi necesse est ex s̄ba intellectuali
 tanqz ex forma: z corpore tanqz ex mā. ¶ Item si s̄ba intel-
 lectualis: quā uocamus aiaz: non esset corporis forma: nul-
 la apareret rōne quō puer vl̄ infans homo dici posset: cuz
 adhuc opationes non habeat intellectus: nec etiam appa-
 reret quō dici posset hoiez intelligere: si homo non esset ali-
 qđ cōpositum ex aia z corpore. Actiones enim sunt supposi-
 torum. Intelligere igitur z ratiocinari non esset ppria ho-
 minis opatio. Sed alterius intelligentie que ab hoie habe-
 ret esse distinctum. Nisi forte cum Platone dicat hoiez ex
 aia z corpore non esse cōpositum. Sed esse solam aiam cor-
 poris sicut motozē mobili cōiunctam. Quod si e p̄cesserit:
 infinitis implicabitur laqueis. ¶ Primo enim hō non erit
 aial sensibile. Deinde sequeret post discessuz aie a corpe cor-
 pus eiusqz ptes eiusdē sp̄ei remanere. Recedete enī motoz

Liber

